

## **Dispvtationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Sect. 5. Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

non meruit ut vellat merita sua nobis prodesse. Posita vero illa applicatione vel coniunctione, videtur Christus meruisse omnia gratiae beneficia quae deinceps hominibus & Angelis collata fuerunt, vt probant argumenta superius proposita. Eo sensu nimis, quod nihil gratiae cuiquam Deus impertivit, nisi intuitu meritorum Christi, tum iis qui tempore Christum praeceserunt, tum aliis omnibus, sicut aut post-existentibus. Neque propterea Christus non meruit omnes effectus nostrae prædestinationis. Nam dona illa gratiae quae diximus eum non meruisse, non sunt effectus nostrae prædestinationis: sed ea tantum gratiae beneficia quae presupponunt intentionem nos salvandi, ac vi illius præparantur & exhibentur.

Notandum tamen aliud esse quod Christus meruerit absolute hæc omnia gratiae beneficia: & aliud, quod meruerit comparative ut darentur hæc potius quam illa, aut huic potius quam illi. Primum generatio verum est. Secundum est falsum in plurimis. Quamvis enim Christus illis pro quibus oravit specialiter, aut quibus sua merita efficacius applicauit, obtinuerit ut per media congrua, & speciale fauorem, ad gloriam perducerebantur Apostolis, excepto Iuda, & plurimis aliis pro quibus oravit specialius, & exauditus est pro sua reverentia, tamen non meruit ut Deus hanc seriem rerum & mediorum salutis patris profuturam, eligeret potius quam aliam: neque ut tam multis darentur media incongrua: neq; ut illi pauci eligerentur pro aliis, quatenus istorum electio concordat alicorū delectio, à quibus isti secernuntur, & specialius diliguntur. Neque antecedenter sua voluntate, & applicatio ne efficaci meritorum suorum, secrevit omnes electo, reprobus. Sed potius hæc omnia reiicienda sunt ad occulta & inscrutabilia Dei iudicia, non ad merita Christi, quæ indifferenter se habuerunt ad illa vel ad eorum opposita. Neque etiam est gratiae beneficium quod vocatio vel auxilia gratie sint incongrua: quod hic deseratur alio electo: quod hæc series rerum pro alia meliori & favorabili eligatur: ut propter illam preparationem se recurrendu ad Christi meritum: ac non potius ad inscrutabile Dei iudicium.

### SECTIO V.

Respondetur argumentis contraria sententia.

Contra id quod diximus, meruisse nobis Christum primam vocationem, & auxilia quibus disponimus ad iustificationem, senserunt Capzol, Driedo, Ruard. & alij, quos citant & refutant Guar. tom. I. in 3. par. disput. 41. sect. 2. & Vasq. ibid. disput. 77.

cap. I. & sequentibus: quorum prior affirmat Refutatio non esse audiendum in scholis posterior, non qui dicunt posse dici sine errore contra fidens, quod Aut. Cifillius thores illi afferunt, Christum meruisse quidem ut parvulus baptizatus, vel adulsti vocari ritate dispositis per actus fidei, spei, & charitatis, conferatur gratia iustificationis, ceterum at non meruisse ut parvulus applicetur baptizatus, neque ut adulti vocentur & disponantur per pios motus ad iustificationem. Fundamenta huius sententiae haec sunt. Primo quia D. Thom. 3. p. qu. 19. art. 4. ad 3. affirmat, sicut peccatum Adæ non derivatur ad alios nisi per carnalem generationem; ita meritum Christi non derivari ad alios nisi per spiritalem generationem, quæ fit in baptismō, per quam homines Christo incorporantur. Et in fine solutionis, si conferatur solutio cum argumento cui responderetur, tradit non vide sub Christi meritum ut aliquis regeneretur. Secundo, Trident. sess. 6. cap. 3. significat merita Christi communicari iis dumtaxat qui renascuntur in Christo: & illam renascientiam esse rationem ut qui renascuntur, participent merita Christi: sicut generatio ex Adamo est causa ut qui ex illo nascuntur, conerant peccatum originale & participent malo ipsius merito. Tertio, Paulus ad Roman. 3. affirmat nos iustificari gratis: & Ephes. 1. ait nos sorte vocati & eligi ad sanctitatem: quæ falsa essent, si ipsa vocatio & dispositio ad iustificationem, esset ex Christi meritis, & ex iustitia respectu Christi. Quartu[m], Christus non meruit efficaciter ut omnino parvuli baptizarentur, neque ut omnes adulti disponerentur ad iustificationem: alioquin omnes parvuli baptizarentur, & omnes adulti disponerentur & sanctificarentur. Neque fuit ratio cur huic potius quam illi meruerit? cur v. g. duorum infantium moribundorum unus baptizetur, alter non? cur duorum peccatorum unus convertatur, alter in peccatis mori finitur? Item si quis malitiosa infamem batizet suffocando in aqua, Christus non est causa talis applicationis, quæ sacrilega est. Neque obest, inquit, quod in Scriptura & Tridentino dicatur vocari in Christo, & per Christum. Quia illæ particulae non semper significant causam meritoriam; ut probant ex aliis Scripturarum locis, in quibus multa dicuntur fieri in Christo, vel in Domino, aut in Spiritu sancto, vel per Spiritum sanctum, quæ eorum nomine & institutione & voluntate aguntur, secundum ordinem, quenam in Ecclesia posuerunt, atque etiam ea quæ secundum Christum fiunt, secundum Deum, secundum Spiritum sanctum. Ut Roman. 8. In quo (Spiritu sancto) clamamus Abba pater. Et cap. 16. v. 1. Commodo vobis Phæben soror in nostram, ut eam suscipiat in Domino, id est, secundum Dominum. Et v. 4. Salutare Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, id est, in causa & negotio Christi.

43. Ad primum Respondeo D. Thomam aper-  
te tradere sententiam nostram 3. p. q. 7. art.  
D. Thomā 9. vbi a gratiam Christo datam fuisse, tan-  
ta scirent quād p. incipio cuidam vniuersali in genere  
habentium gratiam, cuius virtus se extendat  
ad omnes gratiae operationes & effectus.  
Quod repetit art. 10. & 11. eiusdem ques-  
tionis. Quare cū sibi non contradicat  
loco citato in obiectione, debet intelligi de  
applicatione efficaci in ordine ad sanctificationem.  
De qua etiam applicatione & com-  
municatione loquitur Trident. ca. in 2. ob-  
iectione citato.

43. Quomodo dicantur gratis iustifi-  
cari, & vocari sorte, ex parte nostri; quia  
nihil in nobis praecessit quod iustificationem  
mereretur, aut vocationem exigere? Quare  
vtraque est gratia & fors ex parte nostri,  
quamvis sit meritum & iustitia ex parte  
Christi. Addo cum D. Thoma supradicta, ple-  
rumque pura Dei gratiae esse quod hic po-  
tius quam aliis vocetur efficaciter, aut recipiat sacramentum.  
Nam Christus non meruit efficaciter, vt omnes vocarentur con-  
gruē, aut Sacramentum reciperent, licet  
eius meritum ad hoc sufficiens esset: alioquin  
enim id omnibus contingenter, quia meritum  
Christi efficax non potest frustrari effectu.  
Neque etiam meruit, communiter loquendo,  
vt hic potius vocaretur quam aliis, vo-  
catione congrua & habitu effectum, vel  
huic potius quam illi Sacramentum appli-  
caretur: sed meruit vt Deus prouideret om-  
nibus de auxiliis sufficientibus, & de modo  
quo possint iustificari & salvari, sive per ap-  
plicationem Sacramentorum, sive per pro-  
prios actus ex opere operantis, nisi flaret per  
libertatem cretarum, quibus salus pro-  
pria & parvulorum commissa est. Quod  
autem Deus hanc seriem rerum & medi-  
orum elegerit his aut illis profutaram, potius  
quam aliam, ad liberam Dei electionem  
communiter rejiciendum est: non autem ad  
Christi merita de se indifferentia, nisi res-  
pectu eorum, pro quibus oravit specialiter,  
aut quibus antecedenter ad Dei electionem  
voluit sua merita efficacius applicari. Quod  
puto ipsum non fecisse respectu omnium  
saluandorum. Sed gratias quidem egit Pa-  
tri de medijs congruis collatis suis omnibus  
quibus collata fuerunt, & pro iisdem merita  
sua obicit. Pro alijs vero approbat &  
voluit aeternam Patris electionem: aqua  
pro gratijs quibuscumque, sive congruis, sive  
sufficientibus, conferendis aut collatis me-  
ritis sua obicit. At non eam differentiam  
primò ipse constituit: licet quibusdam sine  
dubio auxilia efficacia precibus suis & me-  
ritis specialiter obtinuerit, & propter eo-  
rum praeuisionem Deus ab aeterno effi-  
citer illos iuvare decreuerit: sicut multi san-  
ctorum impetrarunt a Deo aliquam conuer-  
sionem & salutem.

44. Ad quartum Respondeo, quamvis, vt iam  
diximus, Christus non meruit efficaciter  
et omnes vocentur congrue, vel recipient

Sacramenta: neque communiter vt hic po-  
tius quam aliis: Cuiuscumque tamen datur  
vocatio congrua, vel Sacramenti applicatio,  
datur propter merita Christi. Licet compa-  
ratio, & electio huius potius quam alterius,  
non sit communiter ex Christi merito.  
Potest autem faciliter vnum sive alio cadere  
sub merito. Nam v. g. si quis habens  
decem filios, bene de rege meruerit: poter-  
it ex intuitu meritorum eius magnum ali-  
quod beneficium vni ex filiis dare: qui nus  
electio huius, potius quam illius, sit ex me-  
ra regis voluntate. Sic ergo quod duorum  
particularum moribundorum unus baptize-  
tur, alter non: quod duorum peccatorum  
unus conuertatur, alter non: quodque in-  
fans a baptizante suffocetur malitiosa: non  
est ex Christi merito quoad illum compa-  
rationem, quā parte inuoluit vnius dereli-  
ctionem, aut quoad malitiam suffocantis:  
qua etiam non sunt gratiae beneficia, sed  
mala a Deo permisita. Verum causa illo-  
rum proxima est libertas creaturarum: re-  
motè vero Deus ab aeterno elegit, aut per-  
misit illum ordinem rerum, in quo haec om-  
nia sub conditione futura praesciuit ratione  
prius quam eligeret, aut permettere decer-  
neret. Sed non elegit aut permisit compa-  
rativè propter Christi merita, vt iam sive  
monuimus. Quod est in favore & gra-  
tia in huiusmodi electione, aut permissione  
rerum, respectu eorum quibus profunt ad  
salutem, potest ac debet Christi meritis tra-  
bui, propter Scripturæ & Tridentini testi-  
monia supra relata. Quibus non satisfacit  
qua respondent aduersarij.

Licet enim particulæ, in Christo, &c., per  
Christum, possint interdum aliter accipi, &  
in Scriptura locutiones similes aliter non-  
nunquam accipiuntur, quam pro causa me-  
ritoria: tamen cum possint loci citatis com-  
modissime intelligi de causa meritoria, ne-  
que eam soleat Scriptura aliter explicare:  
& possint hac facile Christi meritis tribui  
si que conuenienter ipsius maiestati &  
ordini statui diuinæ prouidentiæ vt ipsis tri-  
buantur: ac denique ea sit communissima  
Theologorum sententia post Tridentinum,  
cu[m] verba fess. 6. cap. 2. non possunt sine  
violenta aliter explicari contentiones ma-  
gis, quam simplicis veritatis amantes esse  
mihi videntur, qui huius sententia refran-  
guntur.

Addo non modo posse Scripturam & Tri-  
dent. ita omnino mode facileque intelligi: sed  
omnino debere. Nam negari non potest,  
quoniam Iohannes Apostolus cap. 1. & 2. ad  
Ephes. de meritis Christi: id est esse re-  
pugnat Tridentino fess. 6. cap. 7. vbi Chri-  
stum esse causam meritoriam nostra iustifi-  
cationis probat ex aliis locis capitis 2. ad  
Ephes. in marginé citatis, ad quæ in texu  
plane alludit. Atqui Paulus non aliter ibi  
significat Christum nobis meruisse beneficia,  
qua commemorat, nisi per illas particulas,  
in Christo, per Christum, per sanguinem, aut

46:

Probatur  
efficaciter  
ex Apost.  
& ex Trid.

Nn 4

in sanguine Christi: & eodem modo dicit cap. 1. v. 8. Deum nos benedixisse in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: & speciatim de beneficio vocationis ait v. 11. In quo etiam & nos forte vocati sumus. Ergo ne sit acquiatio in verbis Pauli, & probatio Tridentini sit fundata in Scriptura incerta & obscura, debent hæc accipi eadem sensu: ac proinde dicendum vocationem, iuxta Paulum, dari propter merita Christi. Tamen concilium Trident. sess. 6. cap. 3. loquitur exp̄esse de merito passionis Christi, cui tribuit nostram iustificationem. Ac deinde cohærente loquendo, docet non modò ipsam iustificationem, sed & eius exordium, à Dei per Iesum Christum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, sine ullis eorum meritis. Quare non sine causa Theologi sapientissimi suprà citati censem contrarium esse erroneum, & non esse in Scholis audiendum.

47.

Christus  
est causa  
electionis:  
licet pon.  
derelictio-  
nis.

Objicis contra responsum suprà datum, ex eo secundū Christum non esse causam electionis eorum omnium, qui ad gloriam efficiaciter eliguntur. Quia electio dicit comparationem, & derelictionem alterius. Christi autem merita non sunt causa cur alij derelinquantur. At hoc est contra Apostolum Ephes. 1. Elegit nos in ipso &c. Respondeo negando sequelam: quia ut Christus simpliciter dicatur causa electionis, sufficit quidē fieri causa dilectionis erga electum, & beneficij ipsi collati: quamuis non sit causa ut alij derelinquantur, & non consequantur idem beneficium. Sic enim misericordia Dei dicitur esse causa beneficiorum, quæ Deus nobis confert præ alijs, atque ipsius salutis, & vita æterna: quamvis non sit causa, cur alij damnentur.

## APPENDIX.

De libro vita, &amp; de reprobatione,

Liber vita  
quid sit?

48. **E**T hæc tenuis de prædestinatione; Nam quæ addit S. Thom. q. 24. de librovita, sunt in textu facilia. Summa de trinæ illius est. Primo, prædestinationem dici metaphorice librum mortis: quia sicut Scriptura libri est signum eorum, quæ facienda sunt: ita Dei notitia & memoria, quæ firmiter fertur se aliquos prædestinatis, est signum apud ipsum, eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam: iuxta illud 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signum hoc: nouit Dominus qui sunt eius. Secundo, librum mortis respicere propriæ vitañ gloriae & finem supernaturalem, ita ut sit conscriptio quædam, sive notitia eorum ad vitam gloriae æternæ, quia id, ad quod eliguntur aliquis, & conscribitur, habet rationem finis. Sicut miles non eligitur, aut conscribitur, ut armetur, sed ut pugner. Tertio, cum liber vita sit conscriptio ordinatorum in vitam æternam: & aliquis ad illā ordinetur ex duobus, scilicet ex prædestinatione diuina, & ex gratia: quicunque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna: Secundum priorem ordinationem nemo potest deleri de libro vita: quia illa non quam deficit. Secus vero secundum posteriorem: quia multi deficiunt à gratia per peccatum mortale. Priors sunt scripti simpliciter in libro vita: posteriores tantum secundum quid. Hæc D. Thom. de libro vita.

De reprobatione vero patet ex dictis, quid de illa nobis sentiendum sit. Nimirum Deum neminem reprobare, nisi consequenter post prævisionem mali status finalis. Causamq; reprobationis non esse Deum, sed negligentiam, vel malitiam hominum non oblequentium Dei voluntati, & intentioni saluandi omnes. Effectum denique reprobationis unicum esse; nempe damnationem æternam in executione, communiter, & ordinarie loquendo. Nam extraordinariè, si Deus aliquem paulò ante mortem deserat in perpetuum, volens efficaciter illum pro peccatis præteritis æternam morti addicere, nolitque amplius auxilium ad pœnitendum illi dage: sicut, iuxta multorum sententiam, Angelis peccatoribus date noluit: vel si morte eum afficiat in vindictam peccati non remissi, ad cuius pœnitentiam non vult illum expectare, quo pacl erga Core, Dathan, & Abiron se gessisse videtur, quos viuos in infernum demisit: tunc talis desertio, & talis mors, est effectus reprobationis, id est, efficacis voluntatis, qua Deus statuit illos damnare in vindictam priorum peccatorum. Illa vero tria, quæ dicuntur à quibusdam esse effectus reprobationis, nempe permisso peccati, obduratio, & perseverantia, aut mors in malo statu, sunt potius illius causa, excepto casu extraordinario, de quo supra.

Porrò sicut prædestinationi respondet libel vita, ita dici potest reprobationi respondere metaphorice librum mortis, id est, liber notitiam, & memoriam Dei, quæ firmiter usq; retinet se aliquos propter peccatum finale addixisse morti æternæ. Licit enim D. Thom. q. 24. art. 1. ad 3. dicat, non esse consuetum conscribi eos, quæ repudiatur, sed qui eliguntur: ideoque reprobationi non respondere librum mortis, sicut prædestinationi responderet liber vita, consuecum est tamen conscribi eos, qui ad mortem damnantur: certumque est habere Dom. præscientiam indeleibilem eorum omnium, qui pereunt, & quæ ac habet eorum omnium, qui saluantur; & sicut ille vocatur liber vita metaphorice; sic iste potest liber mortis appellari. Quo loquendi modo utitur Ecclesia, quando in officio defectorum sic canit: Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus iudicetur. Quapropter librum mortis & quæ ac librum vita admitunt multi è sanctis Patribus, ut Basil. in cap. 4. Isai. paulò ante medium. Nazianz. orat. 9. quæ est ad Iulianum tit.